

*Academiam* Ebraeorum statuendum sit, an ne? Numque idem sit ille locus, quo iuuentutem suam bonis artibus et altioribus disciplinis imbuc curabant, et quo ius in criminis cuiusdam reum prouinciabant? Hanc quaestionem inter Christianos eruditos excitandi et proponendi ipse Iudaeorum DOCTORES ansam praebuerunt, quia non satis perspicue ac distincte in scriptis suis omnia exposuerunt, et ea, quae solum ad בֵּית הַרְיָן גָּדוֹל *domum iudicii magni* referenda erant, non ab iis rebus segregarunt, quae ad בֵּית טְרִרְשׁוֹת *domum interrogatorium seu disquisitionum*, hoc est ad *Academiam* spectabant. Illi autem, qui huic sententiae subscribunt et asserunt, *Synedrium magnum* unum idemque cum Iudeorum *Academia* fuisse, fortassis, ut mihi quidem uidetur, his ex rationibus euincere student. Primum, quia non solum primis reipublicae Iudaicae florentis temporibus PRAESES *Synedrii magni* tum נֶשִׁיא Princeps, tum רָאשׁ הַיּוֹשִׁיבָה Caput *Academiae* uocabatur: sed etiam nostris temporibus, ablato sceptro Iudee, quo nullis gaudent *Synedriis*, RECTOR *Academiarum*, in quo ius docent, nomine אֲבֵ בֵּית רַיִן *Patris domus iudicii* insignitur, qui alias semper in confessu LXXI. uirorum amplissimo, Principi, ut antea in paragrapho tertio a) dictum est, proximus erat. Altera denique causa est, cur hoc affirmant, quod scilicet eodem loco, et iisdem personis *Academia* constituta fuerit quibus *Synedrium magnum*: quoniam illis SENIORIBVS conuenerit et ius dicere, et de rebus dubiis, uexatisque, a *discipulis* et CANDIDATIS quaeſiti, respondere, ac sententiam suam, quid de hoc uel illo caſu ambiguo statuendum sit, proponere. Sed si ea repetamus, quae iam iam a nobis supra de FORMA ET FIGURA SEMICIRCULARI concessus LXXI. uirorum proposita sunt; b)

et

a) pag. hui. diss. 36. 37.

b) pag. 28. seqq.